



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano eiusdem Societ. olim Theologiæ
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales, De Sacramentis in ...**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1652

4. Qualis dispositio requiratur ad tollendum obicem baptismo indigne suscepto.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82340)

tollit directè & ex vi verborum (vt ita loquitur) peccata sola commissà post Baptismum, de quibus solis loquitur Sacerdos, & quæ sola significant illa verba; quia tamen hæc tolli non possunt abique aliis, idè quasi per concomitantiam cetera omnia tollunt: Baptismus verò è contra abluit directè, & ex vi verborum à peccatis præcedentibus, de quibus solis loquitur minister, cum dicit: *Ego abluo te*; reliqua autem, de quibus non loquitur, nec ea significat, aufert solum per concomitantiam, quia sine illis non potest auferre priora peccata.

47. *Instantia.* Dices; repugnat, quod aliquis intendat communicare formam alicui subiecto, & non intendat eodem modo totum effectum formalem illius formæ; nam effectus formalis non est aliud, nisi talis forma communicata tali subiecto; unde qui vult, quod talis forma sit communicata tali subiecto, vult eodem modo, quod resulet talis effectus formalis: sed effectus formalis gratiæ communicatæ subiecto est remissio peccati, seu quod subiectum sit mundum ab omni peccato; ergo sacramentum Pœnitentiæ non potest intendere productionem gratiæ in hoc subiecto, propterea de facto intendit eam primariò, & per se, quin intendat eodem modo, & directè effectum formalem gratiæ, scilicet, quod hic homo mundetur ab omni prius peccato.

48. *Respondetur primò.* Respondeo primò, negando maiorem; nam licet in existentia non possit forma vnita subiecto separari à toto suo effectui formali; potest tamen id fieri in intentione, v.g. licet calor vnitus subiecto reddat simul subiectum calidum in se, & calefactuum aliorum (vtrumque enim præstat in genere causæ formalis, nec potest dare effectum formalem calidi, quin det effectum formalem calefactui) potest tamen Deus ponere calorem in aliquo homine, vt ipse in se sit calidus, & expellatur frigus, non intendendo, quod sit calefactus aliorum. Sic etiam Deus potest dare gratiam alicui, vt ipse sit sanctus in se, non intendendo illum alium finem, quod possit sanctificare alios, licet eadem gratia det formaliter vtrumque, scilicet reddere subiectum sanctum in se, & vtile etiam ad sanctificandos alios. Eodem modo Deus per sacramentum Confirmationis, v.g. dat gratiam, vt subiectum possit proficere fidem, quatenus scilicet ea gratia, vt forma dat ius ad auxilia habenda in ordine ad talem actum; & licet omnis gratia det hunc effectum formalem (quia omnis gratia dat ius ad auxilia supernaturalia) dicitur tamen illa gratia data ad illum finem specialiter, quia Deus intendebat magis illum finem, quam alios. Poterit ergo eodem modo gratia dari per sacramentum Pœnitentiæ ex speciali intentione, vt remittantur talia peccata, licet eadem gratia formaliter remissiva sit omnium. Ratio est, quia ea prædicata, quæ in se sunt realiter identificata, possunt per actus intellectus, & voluntatis separari, ita vt ex modo tendendi in tale obiectum perinde se habeat intellectus, & voluntas, ac si non esset tale prædicatum in obiecto. Sic qui vult cibum aliquem ad leuandam famem, non curat de virtute, quam fortasse habet ille idem cibis ad refrigerandum iecur, nec id intendit, licet illa duo in eo cibo non possint separari: quia nimirum ex modo volendi perinde se habet, ac si in eo cibo non esset tale prædicatum. Cur ergo similiter sacramentum non potest exigere gratiam, solum ad finem tollendi talia peccata, licet ea gratia habeat simul virtutem tollendi alia.

49. *Respondetur secundò.* Respondeo secundò, distinguendo eandem maiorem, repugnat intendere formam, & non intendere totum effectum formalem primarium illius, transeat; non intendere totum effectum formalem

etiam secundarium, nego: nam effectus secundarius non est ita necessariò, & essentialiter connexus cum forma communicata subiecto. Non potest, v.g. calor communicari subiecto, quin faciat calidum, qui est effectus formalis primarius; potest tamen calor communicari subiecto, quin expellat frigus, qui est effectus formalis secundarius; nimirum si nullum frigus præcessit in subiecto, vel si Deus nolit illud expellere adhuc posito calore. Sic gratia non potest communicari subiecto, quin faciat gratum saltem radicaliter, qui est effectus primarius, potest tamen non expellere peccatum, si peccatum, v.g. non præcessit, & similiter potest expellere hoc peccatum, & non illud; quando scilicet hoc solum, & non illud præcessit: non debet ergo necessariò omnis causa, quæ intendit productionem gratiæ in subiecto, intendere expulsionem peccati; neque etiam necesse est, vt omnis causa intendens producere gratiam in subiecto ad expellenda talia peccata, intendat introducere gratiam ad expellenda alia; nam expulsio aliorum non est necessariò connexa cum introductione gratiæ, sed est effectus formalis secundarius, vt diximus.

SECTIO IV.

Qualis dispositio requiratur ad tollendum obicem Baptismo indigne suscepto?

Distinguendum in primis est; nam vel homo ille peccauit mortaliter post Baptismum susceptum, vel non; omitto autem tertium membrum, quando scilicet non peccauit quidem post Baptismum, sed tamen peccauit in ipso Baptismo indigne illum recipiendo, vel alio peccato alterius generis, quod fortasse in ipso instanti Baptismi commisit: hoc, inquam, omitto, quia de hoc peccato in Baptismo commissio, dicemus latius infra in tract. de sacramento Pœnitentiæ, vbi dicemus, illud peccatum, si fieri posset, vt non progrediretur ulterius, nec continuaretur post characterem Baptismi, non futurum materiam sacramenti Pœnitentiæ, sed remittendum postea virtute eiusdem Baptismi, sicut alia peccata ante Baptismum commissà; quare dispositio sufficiens ad horum remissionem sufficiet etiam ad remissionem illius.

Si ergo homo non peccauit mortaliter post Baptismum susceptum, sed tamen Baptismum ipsum accepit sine effectui gratiæ, etiam inuincibiliter, & immemor habendæ dispositionis accessit ad Baptismum, postea, ablato obice, iustificabitur virtute Baptismi præteriti: illum autem obicem auferri debere per actum veræ, & perfectæ contritionis, nec sufficere actum attritionis, docet Vasquez in præsentibus *disput. 160. num. 21.* quia Augustinus nunquam eiusmodi virtutem concessit Baptismo, sed solum quod valeat ad salutem, recedente fictione per veram contritionem, aut confessionem; nec potuit cum fundamento id asserere.

Communis sententia affirmat, in prædicto casu sufficere attritionem, vt virtute Baptismi remittantur peccata præterita; quam sequitur Suarez in præsentibus *disput. 28. sect. 5. concl. 1.* Coninch *q. 62. art. 1. dub. 6. num. 92.* & alij omnes. Probatur primò, ad hominem; quia idem Vasquez *ibi n. 10.* fatetur, quando homo post Baptismum peccauit mortaliter, sufficere attritionem cum sacramento Pœnitentiæ ad auferendum obicem, & vt Baptismus præteritus possit prodesse; ex quo casu argui potest ad nostrum: tunc enim peccata commissà ante Baptismum non possunt remitti virtute sacramenti Pœnitentiæ vt materia

50.

Duplex statum questionis statuitur.

51.

Vasquez.

52.

Sufficit attritio ad tollendum obicem vt virtute Baptismi remittantur peccata præterita.
Suarez.
Coninch.
Probatur primò.

teria Confessionis, ut constat: debent ergo remitti directè per Baptismum; ergo Baptismus habet vim auferendi illa peccata, posita attritione sequenti, ergo eodem modo posset tollere, si illa sola inueneret absque aliis post Baptismum commissis; non enim sunt melioris conditionis ea peccata; aut facilius redditur eorum remissio ex eo quod accesserint alia grauiora peccata post Baptismum: alioquin vtilius erit homini illi peccata post Baptismum, ut eo pacto possit cum attritione; & sacramento Pœnitentiæ consequi salutem, quam consequi non posset absque contritione perfecta, si post Baptismum legem Dei perfectè obleruaret. Hinc fit ratio à priori; quia efficacia Baptismi circa peccata ante ipsum commissam non crescit ex coniunctione cum sacramento Pœnitentiæ, quod quidem circa ea peccata nihil habet, virtutis; ergo si Baptismus ea peccata tollit cum sola attritione subsequenti, quando concurrat Confessio sacramentalis, poterit etiam eadem peccata sola tollere cum eadem attritione, quando non sunt alia peccata, quæ per confessionem tollantur?

53.

Instantia.

Diluitur.

Dices, in prædicto casu peccata ante Baptismum commissam tolli non per Baptismum præteritum, sed per sacramentum Pœnitentiæ indirectè, sicut peccata etiam oblita. Sed contra, quia iam hoc non diceretur consequenter, & iuxta mentem Augustini; cum quo P. Vázquez, ubi supra, fatetur, in illo casu Baptismum præteritum cum confessione concurrere, & prodesse ad remissionem peccatorum; ergo non solum tolluntur indirectè per absolutionem, sed etiam directè per ipsum Baptismum. Et quidem necesse est assignare, per quid directè remittantur: alioquin eodem modo dicere posses, nunquam remitti peccata illa per Baptismum præteritum, sed semper per confessionem sequentem indirectè, vel per contritionem. Ut ergo consequenter procedatur, si semel conceditur, Baptismum præteritum concurrere ad remissionem peccatorum præteritorum, fatendum est, semper concurrere, ablato obice, propter eandem rationem.

54.
Ad fundamentum Vázquez respondeo, Augustinum neque dixisse requiri contritionem determinatè, neque requiri attritionem, sed requiri pœnitentiam, quæ utramque comprehendit; aliquando enim requiritur contritio, quando post Baptismum peccauit homo mortaliter, prout regulariter contingit; & iustificatur extra sacramentum Confessionis; aliquando verò sufficit attritio, ut in casu nostro. Ex verbis autem ipsius Augustini, & eius fundamentum, colligitur, cum non exigere aliam dispositionem tunc ad efficaciam Baptismi: fundat enim hanc efficaciam Baptismi præteriti ad remittenda peccata, in sanitate, & virtute Baptismi, quæ semper est eadem & æqualis; hanc enim rationem reddit illo lib. 6. cap. 5. Quia illud (scilicet Baptisma) in homine inuiso semper sanctum est, quod neque aequitate alicuius augetur, nec alicuius iniquitate minuitur. Agnoscit ergo æqualem virtutem in Baptismo indigne suscepto, ac in suscepto dignè; atque ideo eandem vim ad remissionem peccatorum cōferendam, cum eadem dispositione attritionis. Alioquin non satis esset prouisum de remedio huic homini, cum ex vno capite non posset iterum baptizari propter Baptismum semel susceptum; ex alio autem capite, non posset vlllo sacramento iuari, ut cum attritione iustificetur, sed manet sicut in lege veteri cum solo remedio contritionis perfectæ. Quod videtur esse contra mentem Augustini, qui volebat satisfacere Donatistis, & ostendere, quomodo, licet Baptismus ab hæretico collatus non esset repeten-

August.

das, adhuc nihil ex hoc detrimenti patiebatur baptizatus, si vellet ad Catholicam Ecclesiam redire.

Restat ergo difficultas de primo casu, quando homo post Baptismum peccauit mortaliter, vel cōtinuauit peccatum actuale antea inceptum. In quo casu certum est, peccatum illud posterius esse materiam legitimam sacramenti Pœnitentiæ, cum sit peccatum commissum post Baptismum. Certum etiam est, extra sacramentum sufficere contritionem vniuersalem, ut peccata posterius remittantur vi contritionis & per votum sacramenti Pœnitentiæ in ea inclusum: peccata verò anteriora per vim eiusdem contritionis, & Baptismi præteriti.

Paludanus in 4. dist. 4. q. 5. num. 24. probabile existimat, sufficere attritionem vniuersalem solum etiam extra sacramentum, ut virtute illius auferatur obex, & Baptismus præteritus tollat directè peccata præcedentia, & consequenter ac indirectè tollat etiam peccata commissam post Baptismum: quam sententiam probabilem tandem fatetur Suarez *de iust. sect. 5. post. 2. conclus.* Verior tamen est sententia, negans id sufficere, quam tenet ibi cum aliis ipse Suarez, & Vázquez ubi supra cap. 2. Ratio autem est, quia peccatum post Baptismum commissum est subditum clauibus, & per consequens remitti non potest, nisi per absolutionem sacramentalem, ut per votum illius inclusum in contritione.

Pro sententia Paludani fit argumentum difficile ex sacramento Pœnitentiæ, in quo cum attritione vniuersali remittuntur peccata etiam illa, quæ pœnitens propter obliuionem non est confessus, quæ quidem solum indirectè, & consequenter remitti possunt, cum non sint materia in eo sacramento; ergo licet peccata commissam post Baptismum non sint materia directè Baptismi, nec Baptismus directè possit ea remittere, poterit tamen indirectè, quatenus cum attritione remittit peccata præcedentia, quæ remissio fit per gratiam mandantem ab omnibus peccatis etiam subsequentibus, ad quod sufficit attritio, sicut sufficit ut absolutio indirectè tollat peccata omnia in Confessione propter obliuionem. Confirmatur ex sententia probabiliori docente, sacramenta viuorum conferre aliquando per accedens primam gratiam, quando quis v.g. accedit inculpabiliter ad Eucharistiam cum sola attritione: licet enim Eucharistia per se instituta sit solum ad augendam gratiam; per accedens tamen potest tunc expellere peccata; ergo licet Baptismus institutus sit solum ad remittenda peccata præcedentia, potest per accedens expellere alia subsequentia. Semper tamen manebit obligatio confitendi ea peccata commissam post Baptismum, quia per se debent subici clauibus Ecclesiæ.

Ad hoc argumentum Suarez in præfati dicit, in primis antecedens de sacramento Pœnitentiæ esse satis dubium, an cum sola attritione remittantur in ipso peccata per obliuionem, aut aliter licet omnia; quod fortasse dixit propter Ioannem Medina, qui vnus id in dubium vertit Codice de Confess. q. de absolutione ab obliuionem, ubi indicat partem negatiuam. Nullus tamen alius, quem sciam, id negat ex illis, qui concedunt attritionem cum sacramento Pœnitentiæ sufficere ad iustificationem: & ipse Suarez tom. 4. diff. 20. sect. 2. n. 13. id omnino concedit, & meo iudicio, debet omnino extra controuersiam esse propter verba Concilij Tridentini *sess. 14. cap. 5.* ubi ad ostendendam facilitatem, & suauitatem illius sacramenti asserit, nihil aliud exigi, quam præmissio diligenti examine, ea peccata confiteri, quæ in memoriam venerint: *reliqua autem, inquit, peccata, quæ diligenter cogitari non occurrunt in vniuersum, eadem*

55.
Propositi
difficultas in
alio casu.56.
Paludan.Suarez.
Sententia co-
rior.
Vázquez.57.
Pro sententia
contraria fit
argumentum
difficile.58.
Suarez.
Respondet ut
arguimus.60.
Respondet
ad contrari-
um.

eadem Confessione inclusa esse intelliguntur. Quæ verba cum non possint intelligi ita, vt ea peccata intelligantur iam in Confessione explicata ad eum effectum, vt non sit amplius obligatio ea confitendi (hoc enim est aperte falsum) necesse est, quod intelligantur in ordine ad eorum remissionem per ipsum sacramentum; alioquin ad nihil profus intelliguntur inclusa in eadem Confessione: habet ergo vim illud sacramentum remittendi indirectè illa peccata licet omittat, si adsit attritio vniuersalis, quæ ad ipsa extendatur.

59. Ad obiectionem ergo concessio antecedenti de Sacramento Pœnitentiæ, negatur consequentia: hoc enim peculiare est in illo Sacramento, quod habet vim indirectam in aliqua peccata, ad quorum remissionem non tendit directè, & per se. Ratio autem est, quia quando aliqua causa ordinatur per se ad aliquem effectum, quam vim habere non potest, nisi simul possit facere aliquid aliud, tunc censetur ad hoc aliud per accidens producendum habere vim. Sic natura, quæ per se ordinatur ad producendam prolem similem patri, habet etiam vim ad producendam prolem dissimilem, vel monstru per accidens; quia propter coniunctionem aliarum causarum virtus ad effectum per se intentum debet prodire in hunc alium effectum non intentum. Similiter ergo sacramentum Pœnitentiæ non potuit habere virtutem ad remittenda peccata manifestata in Confessione, nisi haberet etiam virtutem ad tollenda per accidens ea, quæ licet omittuntur; quia alioquin parum utilis fuisset nobis institutio illius sacramenti: nam regulariter qui habent peccata mortalia, omittunt aliqua, vel propter obliuionem, vel propter impossibilitatem dicendi numerum, vel species, vel propter ignorantiam, qua nesciunt distinguere species vt eas explicent, vel propter alias plures causas; vnde si ea omnia, quæ omittuntur, indigerent remedio contritionis perfectæ, vt remitterentur, raro daretur prima gratia per illud sacramentum, atque ideo eius institutio attulisset quidem graue onus confitendi omnia peccata sine fructu facilioris remedij ad iustificationem, qui compenlat illam difficultatem, & obligationem. Non debuit ergo, atque ideo non potuit commodè institui hoc sacramentum ad remedium, & ad facilitatem iustificationis, nisi haberet vim remittendi indirectè, & per accidens peccata etiam licet omittat; quam vim indicauit Tridentinum in verbis suprà citatis, & colligere illam potuit ex fine, ac institutione ipsius sacramenti, & sensu communi ac perpetuo omnium fidelium. Hoc autem non procedit in Sacramento Baptismi, vt patet; hic enim institutus est ad tollendum peccatum originale, & alia commissa ante Baptismum, quod quidem regulariter facit, neque ad hoc oportuit habere vim remittendi alia post ipsum commissa; tum quia ipso tempore, quo confertur, tribuit regulariter suum effectum, tum etiam, quia licet impediatur propter fictionem, vel indispositionem, potest postea tribuere eundem effectum, posita attritione, vel si fuerint alia peccata noua, posita Confessione sacramentali, quæ pro illis peccatis posterioribus tollendis instituta est etiam in lege Euangelica.

60. Ad confirmationem responderi potest primò, negando antecedens de Sacramentis illis, quæ non sunt per se instituta ad remissionem peccati, vt dicemus agentes de Eucharistia disp. 12. sect. 1. vel secundò, admissio antecedenti, potest negari consequentia: nam licet sacramenta haberent illam virtutem tollendi peccata præterita, ablato obice, quando conferuntur ipsa sacramenta, non debent

tamen habere vim ad remittenda peccata committenda, postquam sacramenta collata sunt. Ratio autem esse potest, quia actio sacramentalis, vt in superioribus sæpe diximus, est actio Christi, & eius petitio, qua à Deo petit gratiam, & remissionem peccati pro eo, cui sacramentum confertur; & licet ei tunc non detur cum effectu, acquiritur tamen iam tunc ipsi ius ratione sacramenti suscepti ad gratiam habendam, ablato obice; iam enim applicata sunt ei Christi merita, & solutum est pretium, cuius quasi bursa est ipsum sacramentum. Quæ omnia ostendunt, in ipsa receptione sacramenti applicari ex parte Dei effectum; tunc enim acceptatur petitio Christi, & oblatio pretij; tunc conceditur, quod petitur, licet exsequutio differatur aliquando propter obicem: non ergo habet vim sacramentum ad remittenda peccata futura; hæc enim non remittuntur etiam ex parte Dei, antequam committantur; nec applicatur à Christo solutio pro ipsis, nec homo acquirit ius ad remissionem peccati postea faciendi. Quamuis ergo daretur, illa sacramenta posse per accidens dare primam gratiam, quando recipiuntur; non inde fieret, quod possent per accidens remittere peccata facienda, postquam ipsa sacramenta esse desierunt: hoc enim est omnino contra institutionem ipsorum Sacramentorum, quæ, vt diximus, sunt sanctificationes, & mundaiones præsentis; atque adeò remissiones solum debitorum præsentium; sicut qui lucratur Indulgentias, non obtinet remissionem peccatorum pro peccatis futuris, sed solum pro iis, quæ iam commisit, & pro quibus applicatur nunc pretium ex thesauro Ecclesiæ; nam soluere nunc pro futuris, esset quasi dare impunitatem, & licentiam peccandi in futurum.

Restat ergo, vt in prædicto casu requiratur ad iustificationem attritio etiam de peccatis commissis post baptismum cum Sacramento Pœnitentiæ, vel certè contritio extra sacramentum. Vtroque enim modo aufertur sufficienter obex, vt Baptismus præteritus possit conferre suum effectum. An verò tunc illa duo sacramenta concurrant vt duæ causæ partiales ad totum effectum gratiæ; an singula ad aliquam partem gratiæ? Respondendum est cum Suarez, sect. 5. in fine, vtrumque sacramentum concurrere ad totum effectum gratiæ tamquam causam partialem; quia non est maior ratio, cur priores gradus gratiæ fiant ab vno Sacramento quàm ab altero. Vnde vtrumque sacramentum concurret ad remissionem omnium peccatorum: dicetur tamen baptismus concurrere indirectè solum ad remissionem eorum, quæ commissa sunt post baptismum; quia Deum dare illam gratiam ad finem auferendi eiusmodi peccata, non prouenit ab exigentia baptismi, sed sacramenti Pœnitentiæ; sicut è contra Deus dat illam gratiam ad finem tollendi peccatum originale, & alia antecedentia baptismum propter exigentiam, non pœnitentiæ, sed baptismi. Quia tamen tota illa gratia, & quilibet gradus opponitur æquè ex se omnibus peccatis mortalibus, vtrumque sacramentum dicitur concurrere ad ea omnia remittenda, vel directè, vel saltem indirectè.

Hoc idem dicendum videtur, quando baptismi obex aufertur postea per contritionem: in quo casu P. Coninch num. 101. probabile existimat, contritionem prius naturæ causare gratiam sibi correspondentem, qua omnia peccata remittantur, & postea baptismum conferre augmentum eiusdem gratiæ; quia contritio in suo effectu non pendet à baptismi actu suscepto. Hoc tamen fundamentum parum probat; nam independentia vnius causæ ab alia non arguit prioritatem in operando, v. g. quando duo

luminosa

61.

Suarez.
Vtrumque
sacramentum
concurrat ad
causam partia-
lem ad remissi-
onem omnium
peccatorum.

62.

Coninch.
Idem dicitur
quando per
solum contri-
tionem tolli-
tur obex.

luminosa simul applicantur eidem passo, licet vnum posset operari sine alio, non ideo prius alio operatur suum effectum, sed vtrumque operatur simul; quia pro eodem signo priori vtrumque est applicatum, & neutrius operatio supponit operationem alterius. Similiter, cum pro eodem signo, pro quo posita est contritio, intelligatur etiam baptismus susceptus, & absque obice (nam poni contritionem, & auferri obicem, est omnino idem, vt supra vidimus) non est, cur pro signo posteriori non intelligatur baptismus etiam operari, nisi eius operatio debeat presupponere effectum contritionis, ad quod tamen probandum nullum prorsus fundamentum afferri potest; quia aliud est, effectum baptismi supponere contritionem, & ablatum obicem, quod verum est; aliud verò, effectum baptismi supponere effectum contritionis, quod est falsum, & absque vllò fundamento, & contra mentem Augustini, qui vniuersaliter docuit, baptismum conferre non solum ad augmentum gratiæ, sed ad remissionem peccatorum, quoties postea per veram penitentiam auferatur fictio.

SECTIO V.

Resoluntur alia dubia circa eandem materiam.

63.
Primum dubium.

Valquez.

Suarez.

Resoluitur
iuxta sensum
verborum
Augustini.

64.

August.

Dubatur primò, Vtrum, quando auferatur obex baptismi per contritionem subsequentem, gratia, quæ confertur, sit maior, quàm quæ daretur soli contritioni absque concursu sacramenti præteriti? Negat P. Valquez *disp. 159. num. 33.* Alij verò communiter & verius affirmant, quàm partem amplectitur etiam Suarez dicta *disp. 28. sect. 4. §. Hac sententia*; licet contrarium etiam probabile reputer. Sed si consequenter loquendum sit, non videtur esse dubium. Nam verba Augustini, & aliorum, si quid probant, hoc vtique probant, baptismum præteritum conducere, & vtilem esse postea ad remissionem peccatorum; non est autem utilis alio modo, nec aliter causat remissionem peccatorum, nisi mediante gratia; ergo affert gratiam suam, qua tollat peccata.

Nec satis facit dicere, quòd eadem gratia, quæ data fuisset soli contritioni, datur tunc duplici titulo, scilicet propter contritionem, & propter baptismum præteritum. Hoc, inquam, non est iuxta sincerum sensum verborum Augustini, & aliorum: quid enim utilitatis affert homini, quòd gratia detur illi duplici titulo, si reuera plus gratiæ non habet? Non hoc sibi voluit Augustinus, cum dixit, illud sacramentum postea prodesse; *quia illud & in homine iusto, & in homine iniusto semper sanctum est, quod neque aequitate alicuius augetur, neque iniquitate alicuius minuitur.* Minueretur quippe non parum, si totus eius fructus reduceretur ad duplicandum titulum gratiæ, non gratiam, ita vt ratione illius homo sanctior non esset, quàm sine illo. Non hoc sibi voluit Auctor illius sermonis apud Cyprianum, cum dixit, ablato obice, *Constat ablutionis donum, & reddit effectus munerum*: non reddit effectus munerum, si homo non recuperat, quod propter obicis impedimentum perdidit. Sic enim, quando agitur de reuiuiscencia meritorum per penitentiam, Theologi non agnoscunt, verè reuiuiscere merita, si gratia non sit maior, sed gratia solum noua penitentiae correspondens detur etiam intuitu meritorum præcedentium: sic etiam non admittunt pro vera remuneratione actuum remissorum illam, quam aliqui solum volebant concedere, quòd gratia, quæ correspondet actui intentò subsequenti, detur etiam

intuitu actuum remissorum præcedentium: quia nimirum hæc omnia verbis ponunt remunerationem, & præmium, sed re ipsa titulum vacuum absque vlla utilitate, aut fructu. Si ergo baptismus præteritus utilis est, si ponitur simpliciter causare gratiam, & remissionem peccatorum, aliquid debet conferre ultra id, quod absque ipso haberetur.

Confirmatur primò, nam eo ipso, quòd Concilia, & Patres dicunt, sacramenta nostra causare gratiam, intelligunt omnes causare aliquam gratiam ultra eam, quam per bona opera absque ipsis sacramentis haberemus; nec admitteretur vllò modo explicatio eius, qui diceret, eam solum gratiam, quæ correspondet meritis, dari de facto duplici titulo, scilicet propter merita, & propter sacramenta; hoc enim esset eludere potius quàm tueri doctrinam Conciliorum, & Sacramentorum dignitatem, ac efficaciam. Si ergo conceditur, baptismum præteritum, ablato obice, causare gratiam, id debet intelligi de gratia distincta, non de sola multiplicatione tituli ad eandem gratiam, quæ sine illa haberetur.

Confirmatur secundò, ex eo præcisè, quòd absolutio sacerdotalis conferat gratiam, & remissionem peccatorum, habemus pro comperto maiorem gratiam dare absolutionem simul, & contritionem, quàm solam contritionem absque absolutione; ergo ex simili doctrina Patrum dicentium, baptismum præteritum abluere, sanctificare, &c. colligere pariter debemus, maiorem gratiam dare baptismum simul, & contritionem, quàm daret sola contritio absque baptismo præcedenti.

Confirmatur tertio, nam si obex tollatur per attritionem, baptismus præteritus se solo causat totam illam gratiam, cum attritio non habeat virtutem ad iustificandum se sola, nec tunc sit pars sacramenti, sed mera dispositio ad effectum solius sacramenti; ergo baptismus præteritus habet adhuc vim causandi gratiam diuersam supra gratiam aliorum actuum omnium sequentium; ergo licet obex tollatur per contritionem, baptismus retinebit eandem vim causandi se solo aliquam gratiam supra illam, quæ correspondet operi bono.

Ratio denique à priori est, quia vel baptismus præteritus habet vim ad eandem gratiam, vel non. Si non habet, ergo nec cum contritione illam causabit, sed sola contritio illam ponet; non enim dicitur dari duplici titulo aliquid, quando singuli non habent vim ad illum effectum. Si verò baptismus habet talem vim, pro vt vera habet, non debet eadem gratia correspondere vtrique titulo: numquam enim Deus, stante duplici titulo ad gratiam, dat vtrique eandem gratiam, sed diuersam, vt constat inductione perpetua: sic meritis diuersis dat præmia diuersa; sic duobus sacramentis dat duplicem gratiam diuersam; sic sacramento presenti cum contritione dat diuersas gratias, & sic in alijs; cur ergo in nostro casu hæc vniuersalis regula deficeret? ita enim applicantur merita Christi per Baptismum præteritum ad effectum illum, quàm per alia sacramenta; ergo sicut in alijs sacramentis non censetur Christus applicare sua merita nobis ad eundem effectum nouo titulo habendum, sic neque in casu nostro; quale enim præmium meritorum Christi esset dare nobis ex nouo solum mortuo id, quod iam aliunde, nobis destinatum, & ex lege Dei debitum erat?

Obiciunt, sequi, quòd ille, qui sacrilegè baptizatur, reportaret commodum ex suo sacrilegio, cum postea maiorem gratiam accipiat ratione contritionis, & sacramenti præteriti, quàm si habuisset solam contritionem, non præcedente sacrilegio Baptismo. Respondetur, idem sequi in sententia contraria: nam

65.
Confirmatur
primò.

66.
Confirmatur
secundò.

67.
Confirmatur
tertiò.

68.
Ratio à priori.

69.
Obicitur.

69.
Obicitur.

nam